



No 2  
No 3

4

PRO-RECTOR  
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ  
**HENRICVS BODINVVS,**  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BO-  
RVSS. CONSIL. ECCLES. IN DVCATV  
MAGDER. ET PROF. IVR. ORDIN.

VNA CVM  
PROFESSORIBVS RELIQVIS  
CIVES ACADEMICOS  
AD  
**FERIAS PENTECOSTALES**  
RITE AC PIE CELEBRANDAS  
OMNES ATQVE SINGVLOS HVMANISSIME  
HORTATVR ET INVITAT.

---

Typis ORPHANOTROPHII.

4  
D.

PROIORECTORE  
ACADEMIE HERMANNICANAE  
HENRICUS BODINUS  
SERVENS IN EDITIONE ET REEDITIONE  
RUAE CONCILII RECCEPE IN DUACE  
SUAGE AE TUROE TUROE TUROE  
CHIESUACDEWICE  
HERNEATENTICEPTE  
OMEATEAGE SUAGE HUANE SUAME  
TUATE TUATE TUATE





ΤΟ ΧΑΡΙΣΜΑ ΤΟΥ ΠΝΕΥΜΑΤΟΣ ἀγίου.

*CIVES ACADEMIÆ  
PER DILECTI!*



Vx a consilio Dei sapientissimo dependent, sanctissimaque eius voluntate gubernantur, ea & recta ingrediuntur, & iusta promouentur celeritate, atque ad metam præfinitam attemperate pertingunt; quantumuis ii, qui cum Deo bellum gerunt, sufflaminare illa atque intervertere laborent. Quid? quod vniuersa, quæ se temere ac nefarie voluntati diuinæ obiciunt, ad hanc ipsam opportunitus exsequendam, & ad summi Numinis gloriam cumulatius illustrandam coguntur inseruire. Si enim iis, qui Deum diligunt, non modo res secundæ, sed etiam aduersæ, atque adeo cuncta simul adiumento sunt ad bonum (a); hoc autem propterea sit, quod illi nexus fidei & amoris cum Deo fint deuineti (b): quis dubiter ea, quæ contra ipsum Deum proxime tendunt, ab eo mirabiliter trahi in adiutorium, quo instituta sua maiori cum gloria ad exitum perducat?

Quum autem in omnibus Dei operibus, quibus contraire quidquam videtur, isthuc liceat obseruare; nemo dixerit, in vlo id eidientius esse ac liquidius, quam in eo, quod is ad procurandam humani generis salutem per Christum designauit, & exequutus est. Quamobrem Gamaliel Primoribus Iudeorum, acerbissimo aduersus Christum & Apostolos eius odio imbutis, merito haec oggesit (c): Abscedite ab hominibus istis, & missos ipsoſ facite: quoniam, si est ex homini-

A 2

bus

(a) Rom. 8, 28. (b) v. 31. (c) Act. 5, 38.39.

*bus consilium hoc, siue opus istud, dissoluerit: si ex Deo est, non potestis illud dissolueret, & videte, ne etiam cum Deo pugnare compriamini.*

Enimuero ita, Satana licet nimium quantum obnitente, suo quoque tempore gesta res est, quam Christus nostra salutis causa in se suscepit, ut, qui singulatim quamlibet considerauerit, conuincatur facile, totum negotium haudquam hominum, sed præpotentis, sapientissimi, & in magnis, paruis maiestatis suæ vim exserentis Numinis esse.

*Postquam enim venit plenum tempus (a), adeoque nec ocyus, nec serius, quam oportuit, Filius Dei a summis hominem, & Deus in carne factus est conspicuus (b); etiam si Serpens antiquus Consilium Dei de salute generis humani toties totiesque subuertere ausus esset. (c)*

*Neque deinceps Christus muneris susceptione Præcursum sibi diuinitus datum anteuertit; sed rōte (d), tunc, quum videlicet audita iam aliquandiu esset Vox clamantis, in deserto parate viam Domini; ut baptizaretur a Iohanne, e Galilæa ad Iordanem aduentauit.*

*Nec tempore alieno, sed quum probe gnarus esset, iustam venisse horam (e), ex hoc mundo, exhaustis omnibus, quæ pro nobis subeunda erant, malis, ad Patrem regressus est.*

*In ipsis vero eius perpassionebus, quemadmodum momenta precipua euentura predixerat, ita in eum ordine singula facilitata sunt.*

*Venit Hierosolymam constituto tempore, quinto ante capturam die, eoque animo, ut moreretur. Tradidit eum Iudas Iudeus, Iudei hominibus Ethnicis; & quæ utriusque adversus illum decreuerunt ac patraruunt, facta sunt, quoad minutæ etiam circumstantias, ea serie, que factum iri & suo Christus ore, & multis retro saeculis Prophetæ prænuntiauerant.*

*Suscitatus deinde est tertio die, quem se penumero paliam inculcauerat eum esse, qui anaftasi sur, secundum Scripturas, conueniret. Fidem itaque (vt Cypriani (f) verbis rem effe-*

(a) Gal. 4, 4. (b) 1. Tim. 3, 16. (c) Hanc rem libris de Victoria Verbi Dei fusiū prosequutus est Rupertus Tuicensis.

(d) Matth. 3, 13. (e) Ioh. 13, 1. Matth. 26, 1. (f) De Idolorum Vanitate.

efferamus: ) rerum cursus implenit. Nam & crucifixus ( adeoque a Iudeis, quantum in ipsis fuit, neci datus ) preuenio carnificis officio, Spiritum sponte dimisi, & die tertio rursus a mortuis sponte surrexit.

Posthac numeratis iterum diebus, quadragesimo in celum consendit, iussaq; discipulos expectare promissionem Patris, nempe baptismum Spiritus Sancti, non multis post dieb(a) appariturā.

Quemadmodum igitur nec vi nec dolo prohibere potuerat Serpens infernalis, quo minus prodiret a Patre Filius, & veniret in mundum: ita, licet eum versantem in hoc mundo totis viribus, tamquam mundi huius princeps (b) adoriretur, efficere tamen haud potuit, quo minus rebus omnibus ex voluntate Patris rite & ex alie conseculis, mundum linquens, ad Patrem tempore praeflitto rediret: adeoque huc omnia eius machinamenta a Deo directa sunt, ut tanto certius salutare Consilium finem consequeretur.

Quo autem id esset luculentius, definita Dei voluntate Christum omnia & peregisse & perpetuum esse, prædictit Deus, quæ aliquando consilia, moliminaque & facta hominum impiorum contra eum futura essent. Ita enim nemo suspiciari poterat, quidquam ei fortuito accidisse; ex ipsa vero prædictione, & antiquitus facta, & repetita testimonio multiplici Prophetarum primum omnibus erat cogitare, grauis simam crucis, quam sponte subfiterit, catissam lubeisse.

At enim, inquires, si de Consilio DEI Christus crucifixus, adeoque nihil non malum ab inpiis illatum ei est, cur amplius illi ut consolenti condemnantur? Si porro illorum iniquitas in DEI maiorem credit gloriam, & Majestatem diuinam eo magis commendat, quo minus contra destinationem eius valent opposte quilibet machine, annon intus est Deus, qui impietas ac flagitia ponam ab iis repeatat?

Memineris, obsecro, quisquis talia opponis, istiusmodi sermones & irreuerentius, quam fas est, de sanctissimo Numinis fusos, & in illud malitia humana culpam absurdissime deuoluentes, Paulum dudum exscratatum esse, eorumque auctoribus penam iustissimam denuntiasse. Etenim ex predicatione diuina minime consequitur, ut impii deinceps talia

A 3 machi-

(a) Act. 1, 3. 4. 5. (b) Ioh. 14, 31.

machinari ac perpetrare cogantur, aut licite vel cum laude, aliqua obsequii possint. Prædicit Deus, quid homines pro malitia sua facturi sint, quidque ipse pro bonitate sua, occasione male ab ipsis factorum, sit bene facturus; non vero istis hac prædictione auctoritatem male faciendi concedit; sed his sponte peccant, &, quando male agunt, sua obsequuntur voluntati, cui vel eam ob causam, quod talia essent prædicta, eo magis obsistere, & sibi, ne ea designarent, cauere debent. Dum autem, quod agunt, consilio & contra expressum Dei verbum agunt, tanto grauius, quanto id prædictum fuit clarius, sibi iudicium accersunt. Libenter enim ac studiose in se admittunt, vt in eorum sint numero, de quibus prædictum, quod consilio Dei malitiose sint obluctatur. Quamobrem eo ipso fit, vt, illis quidem inuitis nec opinantibus, sed alium finem, suam nempe malorum consiliorum sententiam sibi vniue proponentibus, prater ipsorum institutum & conatum, accidat illis euentus consilii Dei; hic vero euentus quatenus gloriae Dei inservit, Deo illum sapientissime potentissimeque eo dirigente, illis haudquaquam acceptus sit ita referendus, vt ipsi vel minimam laudis partem inde decerpant; sed in Dei Sapientiam, Potentiam, Benignitatem, iudicia inscrutabilia quidem, iusta tamen, & vias impermeabilis (a) laus & gloria omnis conferenda fit; tale autem impiorum illorum deinceps fatum sit, quale factis debetur, & de iis Deus ore Prophetarum fatus est (b).

Sed de his dicendum amplius non est. Tam stulta enim sunt & tam friuola, vt caendum sit, ne id ipsum, quod pro honore Dei dicitur, iniuria Dei esse videatur. Tanta quippe est maiestatis sacre & tam tremenda reverentia, vt non solum ea, que ab illis contra religionem dicuntur, horre, sed etiam, que pro religione nos ipsi dicimus, cum granditer ac disciplina dicere debeamus. Saluiani Masiliensis ist-

hæc

(a) Rom. ii. 33. (b) Min. Fel. Oclav. c. 36. Nec de fato quisquam ait solatum capiet, aut excusat euentum. — Quid enim aliud est fatum, quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus est? qui quum possit prescire materiam; pro meritis & qualitatibus singulorum etiara fata determinat.

hæc verba sunt (a), dicta contra oppugnatores Prudentia diuinæ, merito huc transferenda.

Temporis vero ipsius, quo hæc scribimus, nostrique instituti ratio in memoriam nobis reuocat euidentissimum eius veritatis documentum, quam initio adseratum iuimus, nempe Consilio Dei conatu irrito vanissimoque obstrepare creaturas rebellatrices, firmaque & stabilia illa esse, nec impediri posse, quo minus euentum suum iusto tempore reperiant; quin hunc ipsis hostium oppositionibus multo reddi illustriorem. In eo enim nunc sumus, vt Pentecostales celebremus ferias; hocque, CIVES, agimus, vt ad illas digne concelebrandas Vos ex officio cohortemur. Fuit autem dies Pentecostes, seu quinquagesimus post diem festum Paschatis, quo Deus opus ingens, arduum ac mirabile, ore Prophetarum dum prædictum, tamuluantibus licet contra eum gentibus, & nationibus inane meditantibus, sſtentibus se Regibus terre, & proceribus consultantibus aduersus Iebouam & aduersus Christum eius (b), glorioſifime perfecit. Spiritum quippe Sanctum effudit in cora fidelium, quemadmodum facturum se suo tempore spem minime dubiam multis antea faculis per Prophetam Ioëlem (c) ostenderat.

Etenim in ipfa Lege veteri significationem aliquam huius dici, vt res in eo gesta Consilii fuisse diuini intelligentur, ceremonia dierum festorum continent; quumque Deus adumbratum vellet, quo post luscitationem Christi die Spiritus Sancti Effusio foret exspectanda, utramque dierum determinatione ac dinumeratione subinnuit.

Res vero ita se habet. Moses capite vigefimo tertio Leuitici, iuſſu Dei, Iſraēlitis præscripsit, vt messis cuiusque ſux primitarianum manipulum ad Sacerdotem adferrent, eumque Sabbathi poſtridie DEO ſuo libarent; dehinc vero ad posterum septimi Sabbathi diem numerarent quinquaginta dies, tuncque panes in fermento coctos, Domino primitias adferrent.

His

(a) Lib. I. de Gubernatione Dei. (b) Ps. 2, 1. 2. conf. Act. 4, 25, ſqq. (c) Ioel. 2, 28. Act. 2, 16, ſqq.

His figuris DEus Christi Resurrectionem & Spiritus Sancti Effusionem præfigurata dedit. Nam primo quidem Resurrectio Christi incidit in diem primum hebdomadis seu posterum Sabbathi diem, quo, secundum Legem, primicias messis libarunt; Effusio vero Spiritus S. post quinquaginta dies facta est: quo tempore panum primicias atrulebant. Deinde, quæ est inter primicias frugum & inter primicias panum analogia, ea quoque inter Resurrectionem Christi & Effusionem Spiritus Sancti intercedit. Christus enim e mortuis suscitatus vere est prouentus terre (*a*), vere primicias (*b*) messis suscitantorum hominum, eis ratiōne āxēorūnta (*c*) transferendus, sanctificans totam messem. Donum autem Spiritus Sancti, quo Christus, postquam in cælum consendet, impertivit suos, vim ac virtutem Resurrectionis Christi, seu illius prouentus terre suavitatem & efficacitatem spiritualem iis degustandam præbuit; sicut in die Pentecostes legalis anniversario Israëlitæ in primis panum delibarunt, prouentus terre vsui suo accommodatum, & ad sustentandam vitam temporalem comparatum.

*Vmbra* hæc erat, quæ die præfinito ingruente cessit *Luci*, vtriusque autem medium quasi temperamentum DEus infuit Prophetarum vaticinationem, qui in Resurrectionem Christi, & dehinc exspectandam Spiritus Sancti Effusionem clare magis atque magis concinunt ac conspirant. (*d*)

Hos Præcursor Christi, a Jesaia (*e*) prædictus, tempore debitocepit, jam plane digito quoque monstrans eum, quem illi minus Largitorem Spiritus S. designauerant.

Tandem ipse Christus, & ante quam mortem obiret salutiferam, & postea rediuius, ac mortis victor & triumphator, Spiritum pollicitatus est, iam non post annos, sed intrapaucos dies, ut dictum supra, effundendum. Quamobrem illam Patris promissionem & hanc recentem Christi prædictiōnem

(*a*) Jes. 4, 1. (*b*) 1 Cor. 15, 20. (*c*) Ebr. 9, 24. (*d*) Gen. 22, 18. cf. Gal. 3, 8. 14. Deut. 30, 6. cf. Rom. 2, 29. Col. 2, 11. Ps. 68, 10. sqq & v. 18. cf. Eph. 4, 8. & Gal. 3, 19. 26. 27. c. 4. 5. 6. & Rom. 8, 14. 15. 16. Es. 4, 4. c. 44, 3. c. 51, 5. c. 55, 1. Ier. 31, 33. c. 32, 4. Ez. II, 19. c. 36, 27. Iocel. 2, 29. Zach. 12, 10. (*e*) c. 40, 3.

nem respectans Lucas, cum Emphasi ait : Καὶ ἐν τῷ συμπληρῶθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς ; quem compleretur dies Pentecostes (a) ; ut innueret, nihil prorsus obstirisse DEo, quo minus promissa exacte compleret, neque ipsam illam ὥραν καὶ ἑξαστιάν τὴν σκότους (b), quæ visa erat Christum quasi circumfusa caligine obruere, id impediuisse; sed diem duntaxat, patrandis promisis destinatum, fuisse complendum, ut, qui omnia superagat tempore (c), etiam pluviā promissam benedictionis suo demississe tempore (d) agnosceretur.

En igitur ! Aduentauit, quo præstitutum fuit tempore, Christus in hunc mundum; &, postquam is definito annorum spatio cuncta, quæ ad salutem nostram pertinebant, perfecit & consummavit, pariter magnus ille Paracletus, quem Christus recepit se a Patre missurum esse (e), hora atque momento ante secula destinato, in corda credentium descendit. Hic vere luculentum illum diem Pentecostes effecit, ut pote Christum, ἀνατολὴν ἑξαύψεις (Orientem ex alto f), σύστησα λαμπρὸν ὄφεων (Stellam splendidam & matutinam g), ἡμέραν τῇ Φωσφόρῳ (Diem & luciferum h), τῷ Φῶς τῷ ἀληθινῷ (Lucem veram i) ἔλον διαστύνης (Solem Iustitiae k) glorificans (l), in animis eorum, qui illum fide ingenua crant complexi. Quapropter, terissima hic dies auspicia perhibet Regni illius, quod Christus ad dextram Majestatis nunc sedens (m), tamquam Rex inundans, præfectusque Zijoni monti (n), in eternum (o) constituit. Iam, iam enim promissa virtute ex alto suos donat atque induit (p), amictu regia purpura augustiori, non ut de terrenis & candidis regnis cum Regibus huius mundi contendant (q), sed ut deinceps predicant resipescientiam ac remissionem peccatorum apud omnines Gentes, incipiendo ab urbe Hierosolymorum (r). Cuncti, quorum repleta Spiritu S. erant corda, iam possidebant intus (s) Regnum illud DEi; quippe quod est iustitia, & pax, & gaudium.

B

per

- (a) Act. 2, 1. (b) Luc. 22, 53. (c) Eccles. 3, 11. (d) Ez. 34, 26. (e)
- Ioh. 15, 26. (f) Luc. 1, 78. (g) Apoc. 22, 16. (h) 2 Pet. 1, 19.
- (i) Ioh. 1, 9. c. 8, 12. c. 9, 5. c. 12, 46. (k) Malach. 4, 2. (l) Ioh. 16, 14. cf. 1 Cor. 12, 3. (m) Hebr. 1, 3. (n) Ps. 2, 6. (o) Luc. 1, 33. (p) Luc. 24, 47. (q) Ioh. 18, 36. (r) Luc. 24, 49. (s) c. 17, 21.

*per Spiritum Sanctum (a); quibus illi caelestibus muneribus nunc erant potiti. Neque in verbis, sed in Spiritus potentia (b) Dei Regnum situm esse, mox ipsa re comprobandoque testabantur, Domino cooperante, & sermonem eorum per signa subsequentia confirmante (c); aliis vero, eorum ministerio, ample introitum in aeternum illud Regnum patesciente (d).*

Fuit itaque hic dies Pentecostes Filii Zijonis maxime omnium usque adhuc solemnis; utpote dies sua Desponsatio-nis (e); neque in posterum ei solemnior dies erit, nisi dies, quem suspenso exspectat animo, *Nuptiarum Agni (f).* Die illo τῆς ἐστῆς vere magno (g), (licet ultimus, quem diximus, maior sit futurus) Sponsus illius, DEI Filius, in pignus sui erga eam tenerimi flagrantissimique amoris, & eis απελῶνταις θέλησης καληγονούλας (in arrham glorie & hereditatis (h) sua ex gratia certissime adeunda, misit ei & impertivit primitias, & quasi libamenta Spiritus (i) suauissima: attamen ne minuscula haec putemus; Spiritum Sanctum in illam copiose (k) effudisse perhibetur. Eius enim charismatibus illam honestavit, non modo quæ vna cum lumine caelesti sanctitudinem menti inferrent, sed quibus etiam prout pollicitus erat (l), extrinsecus condecorata, ceu a tanto amata sposo, conspicua omnibus & venerabilis redderetur, & quasi radiis solaribus (m) effulgeret.

Merito igitur contempsit tunc & subsannauit Filia Zijonis, beata Agni Sponsa, truculentos Sponsi dilecti hostes, eorumque principem, qui bella immani imbura odio aduersus illum antiquitus gesfit, & cuius instinctu illi quoque non, ita pridem in eum acerbissimum expromserant, nec dum tamen deposituerant, odium. Quid enim nunc tandem hostilis ille cum duce suo exercitus contentione omni & conaminibus suis virulentissimus adsequutus est, de quo gloriari postea, quam hic dies exortus est, posset? Palam ac publice dixerat Christus, quū auspicaretur ministerii sui œconomiam:

Im-

- (a) Rom. 14, 7. (b) 1 Cor. 4, 20. (c) Marc. 16, 20. Hebr. 2, 4. cf. Act. 4, 30.
- (d) 2 Pet. 1, 11. (e) Hos. 2, 19, 20. (f) Apoc. 19, 7. fqq. (g) Joh. 7, 37. fqq.
- (h) 2 Cor. 1, 22. c. 5, 5. Eph. 1, 13, 14. (i) Rom. 8, 13. Iac. 1, 18. Siè panes pentecostales dicuntur primitiae Leuit. 23, 20. (k) Tit. 3, 6. (l) Marc. 16, 17, 18.
- (m) Cant. 6, 11. Apoc. 12, 1.

*Implutum est tempus, & appropinquat Regnum Dei (a).* Hoc sermone bellum hosti indixerat intuleratque, & classicum ipse cecinerat *vite Princeps (b).* Quid autem, obsecro, & ante illud tempus, & ab illo in primis, prætermisit princeps tenebrarum, quod non omnibus viribus tentaret atque experiretur, vt ostensam illam aduentantis Regni DEI spem abscederet hominibus, precluderetque? Ast num effecit aliquid? Num Consilium Dei faltem remoratus est? Neutquam vero. Etenim, quod Christus appropinquare antea dixerat, Regnum DEI, nunc die Pentecostes, hoc est eo ipso, quo debuit temporis articulo, præsto fuit, ac mundo se intulit & exhibuit, vt at hostibus id ægerrime ferentibus, immo furenter irascentibus.

Atque sic tandem Consilium Diuinum tam bene euenit, euentusque ad spem a Deo factam tam præclare respondit, vt in verbis Iosephi Patriarcha, quibus ad fratres vsus est (c), nobis videli posimus ipsum Christum ita loquentem audire: *Vos cogitavatis contra me malum: sed Deus cogitauit illud in bonum convertere, ut faceret, sicut est die hoc, conservando populum multum.* Neque enim diem duntaxat illum Pentecosten halcyonium egit Ecclesia DEI, sed gratia illa Pentecostalis ad vniuersum Noui Foederis æuum pertinuit, præcipue vero sua, quam spirauit, fragrantia illam ætatis Apostolicæ periodum permulxit. Qua de re Jacobus Vferius in eximio tractatu de Christianarum Ecclesiarum successione & statu (d), verbis potissimum Isidori Pelusiota (e) & Hegeſippi (f) Tum, air, florente Ecclesia & nondum morbo laborante, in dies dei cum christopoli xiiij. & æx iis postmodum duximus vestrum regum in ecclesiam xvij. & q[uo]d excedens ratiōnē, diuine gratie circum eam velut chorū agabant, Sancto Spiritu res administrante, atque Antifitum unumquemque incitante, ac Ecclesiam in celum conuertente. Meritoque istorum temporum Ecclesia VIRGO a veteribus appellata est. Revenim enim tractu[m] u[er]o regum regi ab aliis regis, & p[ro]p[ter]eum <sup>Excellens</sup>, virgo integra atque incorrupta permanebat Ecclesia, ut habeat vetustissimus auctor Hegeſippus. Quamobrem, si, qua sit Noui Testamenti gratia, qua huiusc vis ac quale robur; qua item verorum Christianorum indoles, quis Spiritus, qui donati Spiritus fructus genuini, quis denique florens Ecclesia status, qua facies sponsa

B. 2

Ie-

(a) Marc. 1, 15. (b) A&amp;t. 3, 15. (c) Gen. 50, 20. (d) cap. I. §. 19.

(e) L. 3. ep. 408. (f) apud Euseb. L. 3. Hist. Eccles. c. 32. &amp; L. 4. c. 22. (al. 21.)

Iesu Christi digna; si inquam isthac, prout liquido in Scripturis docentur, ita in exemplis, cœu expressa imagine, contueri gestiamus, nulla ætas tam infatiabilibus oculis perlustranda nobis est, quam illa æui Apostolici periodus.

Atque hæc ipsa consideratio oppido nobis hoc nostro necessaria est tempore.

Nam quod indignandum merito, indolescendumque est, procul nimis ab innocentia primitiæ illius ætatis absumus, & dum gloriamur omnes Christianos nos esse, permirum quantum plerorumque dissidet indoles ab illa primorum Christianorum indole sancta diuinaque, qui, antequam dicerentur, vere Christiani erant.

Non iam longius eundo alios vestigabimus, CIVVS ACADEMICI! Nostrum potius lustrabimus statum, & ne nobis temere forte videamur bis Christiani esse, quia Academiæ audiunt *ipffissime OFFICINÆ SPIRITVS SANCTI*, regulam verbi divini nobis proponamus, deinde in exempla illa Christianorum primi æui oculos deiciamus; atque sic ad regulam & exempla nos comparantes, æqui iudicii perpendamus libra, vtrum in veris Christianis, an vero in hostibus potius Christi plures sint numerandi.

Diserte Apostolus eos, qui *Spiritum Christi non habeant*, ad Christum pertinere negat (a). An porro aliquis Spiritu Christi prædictus sit, id ex fructu, h. e. ex studiis & actionibus cuiusque colligendum esse, abunde Scriptura (b) testatur. *Fru-*  
*ctus autem Spiritus situs est in omnib[us] bonitate, & iustitia & veritate (c); in*  
*pietate, in fide, in charitate, in tolerancia, in lenitate (d); in gaudio, in*  
*pace, in mansuetudine, in benignitate, in continentia (e); in visceribus mi-*  
*sererationum, animi submissione, condonatione mutua, dilectione sermonis*  
*Christi, summaque confessione in fraternalis admonitiones reciprocas, & in*  
*decantandam gratiam & misericordiam Dei psalmis, hymnis & cantionibus*  
*spiritualibus (f); in cura & solitudine, ut accurate ambulemus, non*  
*ut insipientes, sed ut sapientes (g); utque, sive edamus, sive bibamus,*  
sive

(a) Rom. 8, 9. (b) Rom. 6, & 8. Col. 3. Gal. 5, &c. (c) Eph. 4, 9.  
 (d) 1. Tim. 6, II. (e) Gal. 5, 22. (f) Col. 3, 12..-17. (g) Eph.  
 5, 15.

*sue quid faciamus, omnia ad gloriam Dei faciamus (a); atque sic o-  
mnem vitæ tenorem penitus ad voluntatem Domini conforme-  
mus, explorantes, quid placat Domino (b), probantesque, quæ sit wo-  
luntas Dei bona, accepta ac perfecta (c).*

Quemadmodum igitur arbor, qualibet fructu suo ab aliis  
arboribus internoscitur: ira homo quilibet Spiritum Christi in-  
deptus, ab aliis hominibus eo carentibus per illam animi indo-  
lem, viteque rationem, quam verbis Scripturæ representauimus,  
fecerintur.

Damus, (quod forte quis obieccerit) arbores minutis austri-  
bus crescere, nec statim fructus, sed primum flores, ac deinde  
proferre fructus, & hos non subito, sed paullatim maturari; atque  
istam per gradus augescendi ac fructus ferendi rationem ad pro-  
gressus in Christiana vita pulcre accommodari, nec proinde a  
teneris Christianis fructus expostendos esse illa ætate, quam in  
Christo habent, superiores. Hac enim exceptione aliqui opti-  
mas paræneses eludere conantur. Damus, inquam, hoc, quod  
etiam Bernhardus voluit, quando dixit, *neminem repente fieri sum-  
mum;* verumtamen is censi si nequit Spiritum Christi esse  
consequutus, qui ne animum quidem ita instituit, vt duætu Spiritus Sancti regatur, sed huic potius, si menti forte indiderit bo-  
nam cogitationem cupiditatibus bellum indicentem, obducta-  
tur, ac feruit voluntati sua corrupta, quo eam trahunt sensus,  
& quo dat impetus. Eiusmodi homo quum neque flores neque  
fructus arbore bona dignos proferat, quo argumento bonis ar-  
boribus adnumerabitur?

Fortassis autem alii quidem ignorant, vtrum quis Spiritu  
Christi gubernetur, nec ne? quamdiu opera externa in oculos  
non incurruunt, quæ extrinsecus aliis ostendant, quis sit internus  
animi habitus. At enim uero vt fallat quis aut subterfugiat iu-  
dicium aliorum, suam non decipiet conscientiam, sed intra hanc  
potius conuictus erit, [nisi eis r̄v̄ adōnuov iam fuerit traditus] a  
Spiritu Sancto se minime regi, quamdiu se laqueis peccati in-  
terna praua proæfesi constringendum ipse præbeat.

Quodsi autem porro in aliquo reperiantur etiam externa  
& manifesta carnis opera, non quæ quis forte temere sic appell-

B 3

let,

(a) 1. Cor. 10, 31. (b) Eph. 5, 10. (c) Rom. 12, 2.

let, sed quæ Scriptura expresse arguit, & reuincit adeo, vt ea  
admittentes ad æternam mortem condemnet, huncine sibi ali-  
quis persuadebit Spiritu Christi agi, ipsoque hoc nomine ad  
Christum pertinere, ac in Christianis recensendum esse? Si lo-  
co bonitatis malitiam, loco iustitiae iniustitiam, loco veritatis  
mendacium, loco pietatis impietatem ac licentiam effrenem, lo-  
co fidei perfidiam, loco charitatis ferociam, & aduersus miseros  
duritiem, loco tolerantia impatientiam, loco benignitatis stu-  
dium faciendi male, loco continentia libidinem & intemperan-  
tiam, loco miserationis avaritiam & contumeliam adfictio-  
rum, loco animi submissi elationem & superbiam, loco mutua  
condonationis simultates, rixas, litigia, cædes, loco gaudii spi-  
ritualis voluptates carnales, loco pacis tumultum ac foede erum-  
pentem perturbationem affectuum, loco mansuetudinis iracun-  
diam, loco debiti verbo diuino amoris amorem sermonum libro-  
rumque leuium, futilium, obſcenorum, loco confensionis in-  
decantandas Dei laudes, in actionesque quasuis honestas & lau-  
dabiles conſpirationem ad inhonesta quæuis perpetrandam, ad  
profanasque cantationes ac tibicinum oblectamenta compota-  
tionibus & comedationibus addenda, loco sapientiæ innume-  
ra insipientiæ documenta, si, inquam, hoc paeto in aliis alia, que  
fructibus boni spiritus & diametro sunt contraria, non fingamus,  
sed inueniamus, atque res ipsa demonstret, neque edi ac bibi ad  
gloriam Dei, sed hac ad solam sensuum voluptatem referri, im-  
mo, vi ipsi naturæ inlata, ad abusus abominandos traduci; ne-  
que in agendis omittendisque explorari, quid Deo placeat, sed  
quid carni, quid fodalitio prauo adlubescat; neque voluntati  
Dei, sed sua plerosque voluntati peruersæ ac ductui hominum  
peruersorum caxa mente obtemperare; num eiusmodi mancipia  
carnis & mundi fas erit habere pro iis, qui Spiritum Christi  
habeant præcordiis insitum? Quid si præterea reuerentiam Deo  
eiusque placitis & institutis sanctissimis debitam non modo ipsi  
non præ se ferant, sed aliorum etiam animis excutiant; sinceros  
Christi cultores ludos faciant; hypocrites temere insimulent  
quoslibet, quos a corruptis aliorum moribus studium imitandi  
Christi distinguit, licet eos ementia pietatis arguere nullis  
perperam factis queant; rationis suæ tenebras splendori mentis  
diui-

diuinæ anteponant; seruonibus profanis Scepticismi & Atheismi semina incautis mentibus inspergant, & reliqua; quis tales Spiritu Christi credat gubernari? An non potius meminerimus verborum Christi (a): *A fructibus eorum agnoscetis eos: Num colligunt ex spinis uvam, aut ex tribulis ficas? ita omnis arbor bona fert fructus bonos, putris autem arbor fert fructus putres. Non potest arbor bona fructus malos ferre; neque arbor mala fructus bonos ferre.* Quaecunque arbor non fert fructum bonum, exciditur, & in ignem coniicitur. Nempe igitur ex fructibus ipsorum cognoscetis eos. Isthane Christi Domini nostri regulam, prout fas est ac decet, sequuntur, libere pronuntiamus, ciusmodi homines Spiritus Christi esse exsortes, & ad Christum proinde ac Regnum illius neutiquam pertinere.

Intueamur autem & contemplemur ipsa quoque nascen-  
tis Ecclesiæ incunabula. Ob oculos nobis ponamus non modo  
illos centum & viginti, qui & ante diem Pentecostes, & quum is  
iam adesser (b), concorditer perdurabant in precibus & supplicationibus,  
primisque Spiritu Sancto omnes implebantur (c); sed etiam tria homi-  
num millia, qui hoc ipso die cœtu credentium addebantur, permane-  
bantque in doctrina Apostolorum, & communicatione & fratione panis, &  
precibus, ac tum reverentiam DEo summam præstabant, tum chari-  
tatem, fideli indice indubitate, erant conglutinati. In omnibus  
mens vna, eadem cogitatio, par voluntas, æqua sententia: quæ  
animorum summa confessio per se ac sine lege, veluti lux vsque-  
quaque circumfusa dispellit & tenebras & umbras, non modo  
auaritiam, sed iustam quoque & cuiuslibet facultatum pos-  
sessionem, qua propriam, excludebat. Collustremus reliqua,  
quæ ad Ecclesiæ Christi natalia in Actis Apostolorum spectant,  
ac porro singulas, quas Apostoli plantarunt, Ecclesiæ particula-  
res oebeamus, & quo animum perfectius de illarum statu infor-  
memus, epistolas, quas illi scripserunt, inspiciamus. Videbimus,  
Christi discipulos habitos non esse, nisi eos, qui compotes etiam  
essent facti Spiritus Christi; Spiritus autem charisma non aga-  
tum, nisi in iis esse, qui fructibus genuinis id ostenderent pro re-  
nata, & comprobarent. Sin fecerit; non modo in Hierosolymita-  
na primitiua, sed etiam in reliquis omnibus Ecclesiis, non tra-

Eta-

(a) Matth. 7, 16 - 20. (b) Act. I, 14. c. 2, I. (c) c. 2, 4.

Etabantur aliter, quam putrida membra, nec cum iis viua & sana Christi membra commisceri ab Apostolis permittebantur. Hinc Paulus, Scripti vobis, ait (a), ne commisceamini, id est, si quis, quem frater nominetur, sit scortator, aut alieni audius, aut idololatra, aut concubitor, aut ebrios, aut rapax; cum eiusmodi, inquam, ne edatis quidem. Et alibi (b): Quod si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate: & non commercium habete cum eo, ut erubescat. Hunc, hunc florentes Apostolica etate Christianorum ceterus characterem habebant, quod expurgare studebant, atq; etiam pro suo statu possent, vel paullulum fermenti, ne tota massa fermentaretur (c).

Comparemus iam nunc ad regulam verbi diuini antea monstratam, & ad accommodata huic regulae primitiæ Ecclesiæ exempla res nostras praesentes, vt quæ harum sit conditio, explorante cognoscamus. Quemadmodum enim corpora, quæ curuata & inflexa sunt, obiter forte inspecta, non raro recta censentur; ast ad regulam exacta vitium inhærens occultare amplius nequeunt: Ita si perfunctione res nostras consideremus, inducimur facile, vt quamplurimos pro veris Christianis habeamus, qui tales minime sunt; verum si normam sermonum Christi & Apostolorum adhibeamus, & præsca consulamus verorum Christianorum exempla, errore facile liberabimus. Enim uero in propatulo quidem est, nec, nisi audacia propudioſa, inficias ire quisquam poterit, paucos apud nos Christum vere sequi, carnem & mundum quamplurimos. Quod si quis autem de hoc dubitauerit, regulæ ac normæ, quam ministrauimus, rerum nostrarum statum subiiciat. Hac via illos, Christiani qui sunt, ab iis, qui videntur aut temere dicuntur, internoscere nemo non poterit: quemadmodum arbores bona malæque ex fructibus haud difficulter noscitantur. Neque alia demonstratione hac in re opus erit; sed quam pauci Spiritum Christi ita possideant, vt eorum animet pectora, consilia moderetur, actiones dirigat, adeoque quam multi nec sint, nec esse serio studeant veri Christiani, vix negotium erit liquido cognoscere.

Quamquam ò vtinam, iterumque vtinam isthæc solius fundi nostri esset calamitas, aliorumque omnium aliis in locis ac regionibus, quas ii, qui nomen Christi profitentur, incolunt, melior

(a) 1 Cor. 5, 11. (b) 2 Thess. 3, 14. (c) 1 Cor. 5, 6, 7.

lior ac serenior esset conditio! Posset nobis reliquorum felicitas consolationi esse ac miseria leuamento. Iam vero regnat ac dominatur longe lateque impietas, ager mundi zizanis concretus, ac massa propemodum tota, quæ Ecclesiæ Christianæ titulo insignitur, est fermentata. Dicendum, proh dolor! cum Iesaiæ :

(a) *Nisi Dominus exercituum nobis reliquos fecisset, vicinque paucos, ut Sodoma, & Gomorrha similes essemus.* Quæ res, li quidem nobis Christus, vt Paulo, cordi sit, ingentem nobis tristitiam perpetuamque cordi nostro cruciatum (b), haud mirum est, si adserat.

Quid autem? Numnam Verbum Dei, prænuntians per prophetas æternum ac stabile Christi Regnum, excidit? An Satanæ Consilium præpotentis Numinis, propositumque eius subvertit? Vidimus id quidem, euni haud valuisse diem Desponsationis Ecclesiæ reprimere, immo nec remorari; verum an eum deinceps forte irritum reddidit? partam sanguine victoriam, Christo eripuit? in fine triumphum de Christo ducet?

Absit vero, absit istud in omnem modum. Perinde enim, atque DEus fata Israëlitarum ventura, & cogitationes, consilia, facta impiorum hominum præsciuit ac prædictit, temporum etiam, quæ diem illum magnum Pentecostalem subsequutura essent, adeoque & nostrorum rationem habuit præcognitam, exposuitque. Et ne quis horum tristi offenderetur facie, Christus suos sapienter præmonuit non modo de aduersis Ecclesiæ obuenturis, sed de posteritate etiam degeneri, in peius magis atque magis ruitura, & refrigescente multorum charitate, in dies iniquitatem multiplicatura (c). Sic Paulus (d) Petrus (e), Iohannes (f) eandem defectionem a fide ac virtute primitiuâ, per Spiritum Dei prospectam, nobis antea denuntiarunt. Iudas (g) item impios, Dei gratiam traduentes ad lasciviam & peccandi licentiam, iam tum subingressos, postea vero totis agminibus in Ecclesiam inuasuros, in hoc iudicium esse prescriptos adfirmat, ne crederemus, tanti mali prædictionem in Scriptura Veteri omissam fuisse. Consimi-

- (a) c. 1, 9. (b) Rom. 9, 2. (c) Matth. 24, 12. (d) 2 Thess. 2, 7. sqq. 1 Tim. 4, 1. sqq. 2 Tim. 3, 1. sqq. (e) 2 Ep. 6, 2. & 3. (f) 1 Ep. 2, 18, & in Apoc. passim. (g) v. 4.

Li porro ratione, ac Deus, non obstante Iudeorum malitia, iusto tempore Filium se missurum atque effusurum Spiritum S. promisit, ea, quæ in posterum temporibus Noui Testam. ab ipso bona certissime essent exspectanda, licet omnia obrui illa gentis adulterinæ multitudine viderentur, amplissime prædicta. Piis itaque animabus, quæ in oraculis Dei veracissimis mentis oculos defigunt, epidemica illa iniquitatis lues offensioni non est. Firmissimis enim Verbi diuini solatiis suffulti nituntur, ac Spiritus Christi vere facti participes, testificantibus Scripturis certi sunt, *eam esse veram gratiam, in qua plant* (a), & *qua sustinentur. Intel-*  
*ligunt, magistro Spiritu S. & amant mysterium crucis, nolun-*  
*que alia via ad gloriam sempiternam, in cælis seruatam, contem-*  
*dere, nisi ea, quam Princeps gloriae tenuit ipse docuitque, & quæ*  
*pariter Apostolis eius & omnibus, quotquot fidem fanæ serua-*  
*rant, capeſſenda fuit. Hac incedunt, animo per Spiritum τῆς*  
*θεοτοκίας placide in amore, quo suos Christus complectitur, con-*  
*quiescente, ac spem immotam fouente, fore, vt ad τὸ τέλος τῆς*  
*πίστεως (fidei finem b) ex voto & supra votum ineffabili cum gau-*  
*dio pertingant. Malis sciunt malitia ipsorum venenum biben-*  
*dum esse folis; &, Verbo DEi edocti, experiuntur, Christum*  
*gratiam, quam alii repellunt, in alios, eam admittentes, largius*  
*ac copiosius deriuare. Tantum denique vident abesse, vt Sa-*  
*tanitas ac homines nefarii benigna Dei de suorum salute consilia*  
*euertere possint, vt vultus & experientia eos quotidie doceat, ni-*  
*hil non aduersi sibi, in dilectione DEi perseverantibus, in bo-*  
*num cedere & cooperari. Dolent igitur, impios & hostes cru-*  
*cis Christi sibi ipsis pestem & exitium æternum adferre, iis*  
*que melius consultum vellent, si medicam manum admirerent;*  
*interim vero recte, & merito etiam cum parrhesia, gloriantur,*  
*Christi, suamque propter Christum, cauſam, ceu optimam pro-*  
*batamque DEo, TANDEM gloriosissime triumphaturam, &*  
*in triumphi gloriam ac splendorem illustriorem conatus ac*  
*molimina quævis aduersantium euentura esse.*

Hac, si ultra modum Programmatis prodire liceret, otio-

sum

(a) 1 Petr. 5, 12,

(b) 1 Petr. 1, 8. 9.

sum non esset, nec nobis molestum, pluribus exsequi: quod ob præfinitam breuitatem hic integrum nobis non est. Veftra autem, CIVES, eaque magna & accurata meditatione nolite ea, quæ in medium protulimus, indigna reputare.

Ne spernatis, quæ Consilio diuino etiam Vobis salubriter sunt destinata, ac, nisi Vobis ipsi obfueritis, certissime conferentur. Etenim, quum Vobis quoque natus, passus, mortuus, suscitatus Christus sit, Spiritus etiam Sanctus ab eo ipso Vobis est promissus, qui illum in animis vestris glorificet, si quidem locum ei dederitis, eiusque Vos gubernationi commiseritis. Neque enim, præter Vos ipsum, vlla res creata illud tam prouidum de seruandis Vobis consilium interpellare, & collationem muneric illius diuini Vobis precludere valebit. In Vobis omnis, in quam incurrire potueritis, pernicies consistit. Veftra voluntate, si nimirum temeritati cupiditatis vestræ obtemperetis, sensibusque vestrī indulgeatis, omnis mali, quod obuenire vobis posfir, semina continentur; vefraque ratione, quum ea est Spiritus diuini ductu & imperio destituta, sibique nihilo minus videtur sapere, exitium Vobis ipsi comparatis. Dicitis hinc ni fidem habeatis, tristis id Vobis experientia suo tempore confirmabit. Est quidem benignum DEi Consilium adserendi Vos in vitam æternam; & seruabuntur vtique, quotquot eius consilii exsequitionem diuinam animo non refractario admiserint. Ast coactus nemo in Regnum DEi intrudetur. Absolucionem enim est, vi quemquam adigi ad Regnum subeundum, quod totum sua natura est Regnum libertatis, charitatis ac Spiritus filialis. Quocirca nec interitu quorumdam consilium illud DEi de salute veftra rescinditur. Neque enim illud eo spectauit, vt res per vim ageatur, vt pote qua nil magis est indoli Regni diuini contrarium. Licer autem DEus neminem vi cogat compellatque ad Regnum cœlorum, amoris tamen diuini vis coactione quavis eminentior est. Dedit enim ipse Filium, offert Spiritum Sanctum, addit preces, promissa adiungit, multiplicat invitationes adhortationesque, quasi de suo, non de nostro vnicē ageretur bono. Interdum comminationes miscet; sed vt gratiam, quam

❀ (20) ❀

respuunt homines, admittant. Interdum aduersa immittit; sed vt pena temporali æternam anteuertat, & vt ista pædagogia contumaciam nostram frangat, viasque, ad exitium nostrum præcipites, nobis intercludat.

Hæc, CIVES, iis inter Vos dicuntur, qui luculento die magnis in tenebris versantur, vt cogitent, se procul aliquid habituros, quas in DEum vertant, cauſas, si perent. Agite vero sine mora seriam de vestra salute curam inite, Verbo DEi viam salutis monstranti animum fidemque adiicite, precibus ad DEum demissa mente accedite, Christi iugum suave pra infami Satanæ ac peccatorum iugo in vos recipite, atque sic, vt Christus iussit, petite, querire, pulsate (*a*), intentione omni a Patre cælesti efflagitantes, vt Spiritum Sanctum Vobis largiatur, sine cuius regimine & hic estis miserrimi, & a spe consequenda beatitatis æternæ longe remotissimi.

Quotquot autem Vestrum sunt, qui hanc nostram excitationem monitionemque recta animi destinatione iam præuerunt, ac præcerptum iam habent aliquem charismatis Pentecostalis sacrosancti vsum, eos admonitos volumus, vt si sibi caueant, ne frustra accepisse gratiam Dei, sed fructibus eius potius abundare, ac de cetero cum timore ac tremore, quemadmodum grauissime Paulus Philippenes monuit (*b*), suam ipsorum salutem confidere numquam non comperiantur, P. P. in Academia Fridericana ipsis Feriis Pentecostalibus Anno cœlo 1550.

(*a*) Luc. II, 9-13.

(*b*) Philipp. 2, 12.



Ta 3010

Nur für den Lesesaal! (1)

ULB Halle  
001 874 462

3



5b

VD 18



WMA

WT.





4

PRO-RECTOR  
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ  
**HENRICVS BODINVS,**  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BO-  
RVSS. CONSIL. ECCLES. IN DVCATV  
MAGDER. ET PROF. IVR. ORDIN.  
VNA CVM  
PROFESSORIBVS RELIQVIS  
CIVES ACADEMICOS  
AD  
**FERIAS PENTECOSTALES**  
RITE AC PIE CELEBRANDAS  
OMNES ATQUE SINGULOS HVMANISSIME  
MORTATVR ET INVITAT.

Typis ORPHANOTROPHI.